Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Oratio quesumus omnipotens deus ut qui in tua protectione confidimus cuncta nobis adversantia te adiuvante vincamus. Per dominum. Sabbato officium missae.

Verba mea auribus percipe domine intellege clamorem meum intende voci orationis meae. Ps. Quoniam ad te orabo domine mane exaudies vocem meam. Oremus. Alleluia. Genua. Oratio

Oratio quesumus omnipotens deus ut qui se affligendo carne abstinentes abstinent secundo instinctu a culpa teneantur. Per dominum. Lectio danielis prophete. 13.

In diebus illis. Erat vir in babilone et nomen eius ioachim. Et accepit uxorem nomine susannam filiam helchie pulchram nimis et timentem deum. Parentes enim eius cum essent iusti erudierunt filiam suam secundum legem moysi. Erat autem ioachim dives valde et erat ei pomerium vicinum domui suae: et ad ipsum confluebant iudei eo quod esset honorabilior omnium. Et constituti sunt duo senes iudices in anno illo de quibus locutus est dominus. Egressa est iniquitas de babilone a senioribus iudicibus qui videbantur regere plebem. Ipse frequentabat domum ioachim: et veniebant ad eum omnes habentes iudicia. Cum autem populus recederet per meridiem ingrediebatur susanna et deambulabat in pomerio viri sui. Et videbant eam senes cotidie ingredientem et deambulantem: et exarserunt in concupiscentiam eius: et averterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos ut non viderent celum nec recordarentur iudicia iustorum. Factum est autem cum observarent diem aptum quando eam possent invenire sola ingressa est aliquando: sicut heri et nudius